Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0001-1

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-58.

SIGNAT. cIↃIↃCCCXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0002-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0003-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0004-8

IN NOMINE JESU!

DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN
ACADEMIA ELECTORALI WITTEBERGENSI,

JOH. Deutschmann / D.
PROFESSOR PRIMARIUS, COLLEGII THEOLOGICI SENIOR, ET ACAD. TEMPLI PRÆPOSITUS, NEC NON ALUMN. ELECTORALIUM EPHORUS,

LECTURIS
UNIVERSIS, ET SINGULIS,
VERAM ET VIVAM CONSOLATIONEM,
ET
CHRISTIANAM, NON FANATICAM,
REGNI CHRISTI POSSESSIONEM,
ET FRUITIONEM,
COELITUS APPRECATUS,
PUBLICO HOC PROGRAMMATE
EOS
AD
THEOLOGICAM PANEGYRIN
SOLENNITER INVITAT!

In Nomine Jesu!

INter alios *Hominum Ordines*, qui proh dolor! Deo prorsus abominabiles, etiam *Somniatores* recensentur. Hos Scriptura satis frequenter introducit, & gravissimis censuris ipse Deus reprehendit. Inter alia loca non postremus est iste, qui legitur *Zach. X, 2. Simulacra locuta sunt inutile, & divini viderunt mendacium, & Somniatores locuti sunt vana, & vane consolabantur.* *Prima Classis* hic est *Simulacrorum*, vel ipsorum *Diabolorum*, qui per *Simulacra* loquebantur, & *Oracula Divina* nequiter æmulabantur. *Secunda Classis* est *Divinorum*, vel Divinatorum, qui verbum Dei prætendebant, & *verba mendacii*, vel ipsum mendacium, proferebant. *Tertia Classis* est *Somniatorum*, qui sua somnia, tanquam *veritatis omina* venum exponebant, & incautiores ita suis *somniis* decipiebant. Dimittimus *priores Classes*, *postremam* saltem modo paucis attingimus, quæ *Somniatorum* est. Hos propheta graviter à *mera vanitate* depingit, & describit. *Practici* dicuntur hi *Somniatores*, ideo non nisi practice *Zacharias* eos, & ipsorum *vanitatem*, describit, (1) à *practico Subjecto*: vocat eos *Somniatores*, nim. à *somniis*, non equidem *divinis*, quæ genuinæ sunt, verèq; *divinæ veritatis*, sicut *Jacobus*, *Josephus*, *Pharao*, *Nabuchodonosor*, & alii, juxta divinam revelationē, per *somnia* divinitus informati sunt, & in ipsis somniis tàm de *mysteriis divinis*, quàm *secretis*, & *fortunis mundanis*, & *humanis*, cœlestem *veritatem* acceperunt: nec etiam *naturalibus*, quemadmodum *sagax natura*,

m ſua ſœpius habet *præſagia*, quibus futurorum fiunt indicia: ſed potius *vanis* & *futilibus*, ac *inutilibus*, qualia ſequebantur hujusmodi *Somniatores*, qui vid. ex *propriis imaginationibus* ſibi vana *ſomnia* formabant, dum *cogitationes præcedentes* ſœpiſſimè figurant *Somnia ſuccedanea*, *diurnæq; repræſentationes* poſt ſe trahunt *nocturnas impreſſiones*: *Bonæ meditationes* de ſe pariunt ſomniorum *bonas effigiationes*: malæ pariter *phantaſiæ formationes*, malas *ſomniorum* poſt ſe rapiunt *efformationes*. Sic qualia *ſomnia*, tales *Somniatores*; & viceverſa, quales *Somniatores*, talia *ſomnia*: *Vani Somniatores vana* generant, & parant *ſomnia!* (2) *à practico vanitatis medio*, quod eſt *externus ſermo*, quia *Somniatores*, juxta Prophetam, vana locuti ſunt. Ex *bono veritatis theſauro* proferuntur *bona veritatis verba*, vel *eloquia*; ſed *ex malo cordis theſauro mala* quoque prodeunt *eloquia*. Dum igitur ejusmodi *Somniatores* intus, & in corde, ſive *phantaſia*, vana *ſomnia* fovent, exterius etiam per *oris verba* talia *ſomnia* promovent, & *meras vanitates* loqvuntur, ac à *tramite veritatis* ad *devia vanitatis*, vel ſomniorum vanorum, incautos homines abſtrahere moliuntur. (3) *à practico vanitatis ſcopo*, quia vana conſolantur: *Conſolatio* maximum in *ſtatu corruptionis* bonum, optimus *ſcopus* eſt, unde, juxta *Spiritus S. phraſeologiam*, in S. literis omnia beneficia, tum *Regni Gratiæ*, tum *Gloriæ*, complectitur; de utroque ſaltem unicum locum citabimus: de *Regno Gratiæ Conſolatio* reperitur, *Gen. V, 29.* & *Meſſiæ tribuitur: Hic conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Ubi Conſolatio καθ διάμετρον opponitur *maledictioni*, quæ complectitur *omnis generis mala*, vel *ſupplicia*; ſic igitur è contrario *conſolatio* continet *omnis generis beneficia*, quæ per *Meſſiam* humano generi, cum

primis fidelibus, ſunt acquiſita, cum *Meſſias* ſit *ſcutum & merces* Gen. XV, 1. Scutum, quoad *bona privativa*, dum auffert *omnia mala*; ſed *merces*, quoad *bona poſitiva*, dum confert *omnia bona*. De *Regno Gloriæ* quoque teſtatur Abraham *Luc.* XVI, 25. quod *Lazarus* omnem nunc *conſolationem* conſequatur: *Fili*, dicit Epuloni *Diviti*, *recordare*, quia *recepiſti bona in vita tua*, *& Lazarus ſimiliter mala*; *nunc autem Lazarus conſolationem recipit*, *tu vero cruciaris*. *Cruciatus infernales* ſunt *omnium malorum concurſus*: ſed *conſolatio glorioſa* revera dicitur *omnium bonorum congregatio*. Verùm apud *Zacharianos Somniatores conſolatio vana* deprehenditur, qua ratione verus *bonorum Gratiæ* & *Gloriæ ſcopus* prorſus ab iis exulat. Utinam vero cum *Zacharia*, vel cum *Veteri Teſtamento* tales *Somniatores*, & *Phantaſtici*, ſeu *Fanatici Doctores* deſiiſſent, plane ſic in Eccleſia Chriſtianorum *conſolatio* vigeret, & Hæc de *conſolatione bonorum Gratiæ* gauderet, atque ſuis *Conſolationem bonorum Gloriæ* certo promittetet. Sed proh dolor! & in *prima*, & in *media*, & in *noviſſima militantis Eccleſiæ ætate* tales *Somniatores* exorti ſunt, qui ſua potiſſimum ex *phantaſia*, vel etiam *αὐθαδείᾳ*, varia *ſomnia* de *Chriſto*, de *Chriſti Regno*, vel *Eccleſia*, de *variis* hujus *ſtatibus*, & aliis *Myſteriis*, excogitarunt, & magno cum ſcandalo *rudioribus*, & *incautis*, publicarunt. Mittamus nunc alia, quæ, vel *Diaboli calliditas*, aut *aſtutia*, vel *humana curioſitas*, & *παυθεγία*, vel *ſtudium novitatis*, & *ſingularitatis*, Eccleſiæ, ſatis alias afflictæ, nunc obtrudit, ſolum hac vice *Seculum*, quod hodie nonnulli *Fanatici* ſomniant, *Aureum* allegabimus. Si tales *Somniatores* medios inter *Gentiles Poëtas* exiſterent, & *Poëticis inventis*, vel *commentis* indulgerent, atque pueris talia *ſomnia*, vel ex *antiquarum traditionum corruptelis*, vel ex aliis *otioſorum hominum fabulis*, vel ex *Mathematicis*, *Politicis*, aut *aliis hypotheſibus* proponerent, tolerari qua-

quadantenus illud posset: cum a. in Ecclesiæ veræ gremio vivere, *Scripturas Sacras* docere, suaq; *somnia* perperam scripturis, divinitus patefactis, *vanis* ψεύδοπαρεισάκτοις obtrudere velint, illud omnes *Cordati Theologi*, vel etiam *Christiani* deplorant. *Svavia somnia* sunt de *Christo*, *novo Rege mundano*, de *summæ felicitatis*, & *tranquillitatis* in hoc mundo *Regno*, de *hostiũ Regni Christi interitu*, de *perfecto Christianorũ* his in terris *statu*, de *jucundissima Martyrum*, dudum *mortuorũ*, *resurrectione*, cumque *Christianis* hoc in mundo *conversatione*, &c. Nec enim facile quis omnia *Fanaticorum* de suo *Millenario somnia* percensere poterit. *Scripturis* etiam *Canonicis*, ad Somniorum suorum corroborationem, abutuntur, in primis *Acropolis* hujus *Fanatici Regiminis* in *Cap. XX. Apocalypseos*, *commate 4. 5. & 6.* quæritur, quando Propheta N. Test. scribit: *Et vidi sedes: & sederunt super eas, & judicium datum est illis. Et animas decollatorum, propter testimonium JESU, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neq; imaginem ejus, neq; acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri vero mortuorum non revixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda damnatio non habet poiestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum Illo mille annis.* Dudum *Orthodoxi* Theologi *Fanaticis*, vel *Chiliastis*, satis clare demonstrarunt, nihil in *hoc* patrocinii *somniis* de *seculo aureo*, vel *futuro felicitatis statu* his in *terris*, inveniri: & in *Panoplia Conf. Aug.* varia de præsenti loco produximus: nunc ut plurimis exponatur, & expediatur, nullum operæ precium esse videtur. Cum enim MAXIME REVERENDUS, AMPLISSIMUS, ET EXCELLENTISSIMUS, DN. M. JOHANNES GOTTLOB Stolße / HACTENUS PHI-

LOSOPHICÆ FACULTATIS ADSESSOR MERITISSIMUS, S.S. THEOLOGIÆ CANDIDATUS DIGNISSIMo, JAM IN DOMINO VOCATUS ECCLESIÆ WALDENBURGENSIS PASTOR, NEC NON ECCLESIARUM IN DYNASTIIS WALDENBURG, HARTENSTEIN, ET LICHTENSTEIN, SUPERINTENDENS VIGILANTISSIMUS, ET CONSISTORII, QUOD IBIDEM FLORET, ADSESSOR GRAVISSIMUS, AMICUS, CONVICTOR, ET IN CHRISTO FRATER DILECTISSIMo, Suum inter *Licentiandos Theologiæ* nomen profiteretur, & in *Collegio Nostro* gratiã hanc, qua nõ modo publicis ritibus, instar *Licentiandi*, reciperetur, sed ad *ἀσκήμαλα consveta*, more majorũ, admitteretur, *expetitione solenni* consequeretur, id Eidem inter alia negotii datum est, ut, loco *Cursoriæ*, quã vocant, *Lectionis*, *vexatũ* hunc *locũ* proponeret, & ad *studiosæ Juventutis ædificationẽ*, certis *Lectionibo* exponeret. Nos igitur hic nihil addimus, sed juxta *laudabilem consvetudinem Vitæ Curriculum* Ejus tantum adducimus. Ut autem à primis ordiamur initiis, laudatus jam CANDIDATUS NOSTER ortum suum debet non *pago* cuidam *obscuro*, nec *oppido minus claro*, sed *Pirnam*, *Misenorum* Clarissimam *Urbem*, feracissimam multorum Eruditorum *Matrem*, ceu *Patriam*, colit. Nam & *Patria*, sicut & *Cives*, *celebritate graves*, optimas ad majora mentes accendere consveverunt. Nactus quoque Parentes non ex *ordine plebejorum*, vel ex *ima Civitatis fece*, sed potius Eos, qui *majores* ex *primariis hujus Urbis Familiis* longa serie numerant. Lætatur autem in Domino, grataque mente recordatur illius beneficii divini, quod *Utrumq; Parentem* adhuc inter *vivos* per *Dei Gratiam* videre, venerandamque *senectutem* ipsorum filiali reverentia colere, & Illorum gaudia suis, & *laboribo*, & *honoribus*, *sacris* augere possit, & hanc sibi felicitatem à *Patre Misericordiarum* diuturnam piis votis exoptat! Vene-

ratur

ratur autem PATREM MAXIME REVERENDUM, AMPLISSIMUM, CLARISSIMUMQUE VIRUM, DN. M. JOHANNEM SIGISMUNDUM Stoltzen/ tempore nativitatis *Lycei Pirnensis Doctorem, bene meritum*, nunc autem *Ecclesiæ* FRANCKENBERGENSIS PASTOREM PRIMARIUM, ET EPHORIÆ CHEMNICENSIS ADJUNCTUM, VIRUM DE PUBLICO, tam *scriptis publicis*, quam *laboribus sacris* continuis, meritis conspicuum, & *pietatis studio* satis celebratum. Exosculatur etiam *filialibus obsequiis* MATREM VENERANDAM, MATRONAM NOBILISSIMAM, ET PUDICISSIMAM, *sui Sexus ornamentum*, NATALIBUS PROMNITIANAM, quam FAMILIAM *Antiquitas Generis*, & *magnitudo Virtutum*, atq; *meritorum*, per aliquot secula dudum Nobilitavit. His laudatissimis *Parentibus* & *vitam*, & *primam vitæ formationem*, ac *informationem*, imo piis ipsorum *precibus*, & *consiliorum dexteritatem*, & *eventuum*, per Divinam Providentiam, *felicitatem* se debere, gratissima mente, lingvaque fatetur. Nam ipsorum cura statim per *Baptismum*, *regenerationis* Christianæ *lavacrum*, sub *ominoso Nomine* JOHANNIS GOTTLOB, *matriculæ sanctæ Dei Civitatis* inscriptus, & *donorum Spiritus Sancti primitiis* initiatus est. Hæ *Sanctissimæ primitiæ* neutiquam *otiosæ* fuerunt, sed clarissimis indiciis, & *bonitatem indolis*, & *capacitatem mentis*, & *cupiditatem sinceræ pietatis*, & *facilitatem ad studium veræ virtutis*, ac *nativam quandam agilitatem capessendæ doctrinæ*, vel *eruditionis*, in *Tenello* luculenter prodiderunt. Hæc, & alia dona non sibi, suæq; generationi, vel educationi, sed potius *Divinæ Regenerationi*, cœlestique *Benedictioni*, *pii Parentes* adscripserunt. *Speculum quotidianæ* Filii *Benedictionis* fuit Ipsis *motivum quotidianæ gratiarum* erga Deum *actionis*, cũ optime nossent, quod

quod Gratiarum actio, juxta veritatis proverbium, *sit ad plus dandum iuvitatio.* Neque *spes*, *in Domino* pie concepta, gratos Dei Cultores fefellit. Nam *primas* divinæ *benedictionis proventus*, quoad *incrementa pietatis*, & *eruditionis*, observarunt in *Schola Domestica*, *secundos* in *Schola Patriæ publica*, cum Dn. PATREM in ea *continuum Ephorum*, & *Doctrinæ*, *vitæq; fidelissimum Chiragogum*, coram oculis semper videret, & utilissimã Ejus, sicut & aliorum DN. PRÆCEPTORUM *manuductionẽ* sibi commendatissimam haberet. Ex eo proinde factum, ut *studia pietatis*, & *solidioris eruditionis* fundamenta, quæ *Scholis Triviatis* & *libus* conveniunt, & facilius caperet, & ad *scholas illustres* eo maturior fieret. Quam ob causam consilio *laudati* DN. PARENTIS, & allorum PRÆCEPTORUM, atque PATRONORUM, ELECTORALI SCHOLÆ, quam *MISENA*, tanquam *Seminarium publicum Virorum Eruditorum*, fovet, datus, atque commendatus est. In hac non paucos *dies*, aut *menses*, vel *unum* tantum, aut *alterum annum*, sed *integrum fere Quinquennium*, ad *sui pleniorem ædificationem*, proposito certe laudabili, consumsit, recordatus illius πολυθρυλλήτου quod *lapis*, *sæpe volutus*, *non obducatur musco.* Floruit illis temporibus in hoc *Provinciali Gymnasio* B. M. JOHANNES GEORGIUS WILCKIUS, *Vir in omni Philologia versatissimus*, *ab Eloquentiæ purioris dexteritate celeberrimus*, *MAGNI BUCHNERI Discipulus veteranus*, *& Æmulus genuinus*, *Vir de Studiosa Juventute meritissimus*, cujus *informationi* tam *privatæ*, quam *publicæ*, se totum mancipavit. Cum post *hæc omnia spatia Gymnastica* sua sedulitate penetrasset, & vel omnes, vel plerasque *difficultates* superasset, consilio, judicioque DNN. PRÆCEPTORUM, *SCHOLAS SUMMAS*, quas Academias vocant, ad ultimam studiorum suo-

ſuorum culturam adire debuit. Inter has *Celeberrimam* LIPSIAM, & ob DNN. PARENTUM vicinitatem, & ob Docentium Celebritatem, Primum elegit, ac ante *Decennium* fere *Miſenenſem illuſtrem Scholam* deſeruit, & in ACADEMIAM LIPSIENSEM, tanquam ad *mercaturam Bonarum Artium*, ſeſe contulit. Natura quaſi ferebatur ad omnem *induſtriam*, ideo *dies*, & *horas optimas*, non *viſendæ Mercaturæ Negotiatoriæ*, quæ, præcunctis *Germaniæ Civitatibus*, ibidem eſt *florentiſſima*, ſed potius *mercaturæ literariæ* percipiendæ prudenter attribuit. Teſtantur id ipſum *Collegia plurima*, quæ tam publice, quam privatim, ſedulitate non vulgari frequentavit. Sedit enim conſtanter ad pedes Magnorum *Theologorum*, *Philologorum*, atq; *Philoſophorum*, & ex ipſorum ore varia doctrinarum genera fructuoſe percepit, ac in uſum eruditionis ſuæ convertit: imprimis gloriatur de Scholis eruditiſſimis *Excellentiſſimorum Virorum*, DN. D. CARPZOVII, DN. D. ALBERTI, DN. CYPRIANI, DN. SCHMIDII, DN. RECHENBERGERI, DN. RIVINI, &, quem in oculis ſemper habuit, DN. SELIGMANNI, deque *Tantorum Virorum meritis* tacere mavult, quam parum digna, juſtoque pauciora proferre. Neq; poſtremam felicitatis ſuæ partem numerat, quod VIRI MAXIME REVERENDI AMPLISSIMI, & EXCELLENTISSIMI, DN. D. JOHANNIS GEORGII SCHWERTNERI, Paſtoris, & Superintendentis hodiè Pirnenſis, t.t. Collegii Philoſophici Adſeſſoris, & Theologiæ Baccalaurei meritiſſimi, *contubernio*, *conſiliis*, & *auxiliis*, in ſtudiis Academicis rite formandis, uti potuerit, quod grata mente recolit. Cum *biennium integrum* in hac *Academia* ſtudiorum cauſa conſumſiſſet, & per diligentiam aſſiduam fere, quantum ad aliquos labores publicos exantlandos nonnullis ſufficere videbatur, ad metam de-

duxisset, Academiæ, sumtuum causa, valedicere necessum habuit, & ex consilio DN. PARENTUM *Dresdam* adire debuit, ut & liberale quoddam Hospitium, & victum faciliorem, apud Patronum aliquem, suis laboribus Didacticis impetraret, & in notitiam, atque benevolentiam Summorum PATRONORUM penetraret, ut & *Cognatorum* suorum majorem sibi favorem conciliaret, & tandem etiam aliquod *Publicum Officium*, vel in *Scholis*, vel in *Templis*, ex ILLUSTRISSIMI PROTOSYNEDRII ELECTORALIS promotione, post aliquot annorum decursum expectaret: sed tempus ibidem otio non perdidit, verum omne potius *otium* in *negotium*, laude dignum, sedulitate sua convertit. Nam & *Collegio Homiletico* practico, quod inter *Studiosos*, in *Metropoli* commorantes, non absque studiorum, & laborum, commodo viget, interfuit, & aliis *Exercitiis Eruditorum*, tum temporis florentibus, ad sui pleniorem culturam interesse voluit. Verum CANDIDATUS NOSTER in his, & aliis *aliquas* ibidem, neutiquam *plenas delicias* inveniebat. *Divinus nutus, atq; motus, internus* Eum ad *Academias* revocabat. Cum igitur *Dresdæ* per *integrum annum* commoratus esset, & in notitiam MAGNORUM VIRORUM devenisset, in nomine Domini WITTEBERGAM, & in eâ B. MEGALANDRI CATHEDRAM adire firmiter constituit. Venit huc *ante sexennium*, & literis ad *Me systaticis* instructus, nomẽ statim apud Me professus, simulque vitæ suæ rationem, sumtuum *mediocrem conditionem*, & *desiderii* continuandorum *Academicorum studiorum magnitudinem* confessus est. Ad preces, & labores Ipsum remisi, divinæ *Providentiæ certitudinem* ei promisi, meorumque Consiliorum, & Subsidiorum paratissimam semper promptidudinem ejus conatibus obtuli. Nec (DEO SIT LAUS, & GLORIA!) male cecidit, per *divinam Directionẽ*, & *Benedictionem*, hoc institutũ? Eodem igitur

tur anno statim apud *Celeberrimos* DNN. PROFESSORES, &PRÆCELLENTISSIMOS DNN. ADJUNCTOS, per diligentiã, sibi propriã, in variis Collegiis inclaruit, & in Scholis EXCELLENTISSIMORUM VIRORUM, DN. KIRCHMAJERI, DN. STRAUCHII, DN. RÖHRENSEE, DN. DONATI, DN. DASSOVII, DN. ROESCHELII, DN. FALCKII, DN MEIERI, *studiis* suis *pleniorem notitiam, vitæ, fortunæq; suæ majorem benevolentiam*, quæsivit, & obtinuit. Factum inde statim, ut eodem anno M DC XXCIIX. ad *Magisterii Gradum* invitaretur, & eundẽ, ex consensu FACULTATIS AMPLISSIMÆ, sub DECANO *Spectabili*, DN. D. CASP. HENRICO GRAUNIO, t. t. *Adjuncto*, nunc Pastore, & Superintendente Rochlitiensi, consequeretur. Sicut autem *Honores* pariunt *majorem animum*, & *majores labores*, ita DN. CANDIDATUS NOSTER *majores animos* in *Domino* sumsit, & ad *majores labores* strenue contendit! Nam ex eo tempore non sibi Doctrinam, hactenus comparatam, servare, sed ad suos etiam *Commilitiones* propagare constituit. Omnem igitur eo curam impendit, ut, *habita Disputatione publica*, sibi *potestatem Docendi privatim*, vel *Collegiorum instituendorum*, ab *Amplissimo Philosophorum Ordine* compararet. Nec instituto defuit exoptatus eventus! Nam sub Excellentissimi DN. PROFESSORIS RÖHRENSEES *Præsidio*, Materiam Practicam, de Simulatione Religionis, tanto cum applausu defendit, ut facilem ad *Collegium* LECTORUM PRIVATORUM viam invenerit. Quam multa, quam utilia *Collegia* suis *Comilitionibus* ex hoc tempore publicaverit, & magno cum fructu suorum *Auditorum*, modo *Disciplinas Prælectionibus explicando*, modo fideliter *explicata ruminando*, & per *repetitiones*, & *examinationes*, in succum, & sanguinem *Eruditionis* quasi convertendo, paucis illud lineolis enarrari nequit.

Sic & in *Philologia Græca*, & *Hebræa* ſuorum Auditorum coluit animos, & in *Rhetoricis artificiis* eos excoluit, atq; ſic ad ædificationem omnes ſuos labores in omnibus ordinavit. *Præſidis* officio ſæpius eſt functus, & fructuoſas *Diſputationes* de *Euſebio*, *Theophilo*, de *Silentio divino*, de *DEI Cognitione*, *Definitione*, e *Methaphyſica*, *falsò pro Lexico Philoſophico* venditata, de *Amicitia poculorum*, &c. conſcripſit, easque juris publici fecit. Militiam *Academico-Philoſophicam* in aliis quoque ſtrenue geſſit, & hinc AMPLISSIMOS PHILOSOPHIÆ DOCTORES commovit, ut de Majoribus Honoribus NOSTRI CANDIDATI, propter hæc, & alia merita, cogitarent. Nam ante Biennium in Collegium ſuum, velut ADSESSOREM, Eum cooptarunt, & ampliorem *Docendi*, *beneq; merendi* campum Eidem monſtrarunt. Talis NOSTER fuit in *laboribus*, & *Honoribus Philoſophicis*. Neque per *DEI Gratiam*, *Minor* in *laboribus*, & *Honoribus Theologicis*. Nam *Philoſophiam*, & *Philologiam* non ut *metam*, ſed ut *medium* eligebat, non ut *Dominam*, & *Magiſtram*, ſed ut *Miniſtram* diligebat, atque colebat: per *illas* enim ad ipſam *Dominam*, & *Magiſtram* viam affectabat, & ad doctrinæ ſalutiferæ metam omni ſtudio properabat. Non enim fruſtra *B. Lutheri Cathedram* dilexerat, & ad eam *Theologiæ diſcendæ* cauſa profectus erat, ſed *affectum*, omnibus diebus, ac horis, in *effectum* deducere ſtudebat. *Media* proinde *Philologiæ ſacrationis*, & *Philoſophiæ ſolidioris*, ſemper ad *Theologiæ ſcopum* dirigebat, & ſic in omnibus ſuis *laboribus*, atq; *Collegiis Philoſophicis*, & *Philologicis*, Theologiã potiſſimũ reſpiciebat, atq; *notitiam* de *Rebus divinis* quotidianis incrementis augebat. Neq; tamen *ſibi ſapere* volebat, neq; *Spiritui Fanatico* quicquam tribuebat, vel eidem confideat, unde nec *viſionibus*, neq; *revelationibus* novis, nec *internis ſuggeſtionibus*, vel aliis *Phantaſticis Somniis* indulgebat,

gebat, sed *Doctores Theologos* magni faciebat, eorum *laboribus* tam *publicis*, quam *privatis*, adhærebat, eos privatim consulebat, & *Doctrinam cælitus patefactam*, ab *ordinariis DEI Ministris*, per viam ordinariam, *auscultationis*, & *lectionis*, atque *frequentioris Exercitationis*, ex benedictione Domini, mediantibus piis precibus, sibi confidenter promittebat. De *Meis Collegiis privatis*, & *publicis*, de *frequentioribus interrogationibus*, & *collationibus*, nihil modo dicam. Reliquos Theologos omnes, quotquot ipso præsente doctrinam Cælestem in hac Academia proposuerunt, studiosissime sectatus, eorumque *labores* veneratus est. *Beatos*, & in Ecclesia bene meritos, *Theologos* ad sui culturam adhibuit, & ex ipsorum *scriptis*, atque *dictis puriorem Theologiam* sibi familiarissimam reddidit. Plurimos in Theologia progressus fecit ex utilissimis B. CALOVII, & B. QVENSTEDII, non ita pridem defunctorum, scriptis, & *vivum* adhuc B. WALTHERUM in omnibus admiratus, atq; cunctos ejus labores avidissime sectatus est. Neque minus id omne, quod de *Puriori*, *Solidioriq; Theologia* possidet, MAGNIFICORUM THEOLOGORUM, per *DEI Gratiam*, adhuc superstitum, sanctissimis, & accuratissimis Laboribus adscribit, & grata mente semper id recolit. Gratulatur inde sibi vehementer, quod SUMME REVERENDORUM, & MAGNIFICORUM VIRORUM, DN. D. MEYERI, cum adhuc *Noster* esset, cumprimis autem per hos plurimos annos DN. D. LOESCHERI, DN. D. HANNEKENII, DN. D. NEUMANNI *lucubrationibus*, & *Dissertationibus*, in maximum Studiorum suorum incrementum, & emolumentum constanter interesse potuerit. Non enim, juxta pessimos nonnullorum mores, tanquam *canis de Nilo* bibere, statimque *Cathedram B. Theandri* deserere, vel in *Academia* vivere saltem, & *Studia Theologica* negli-

gere,

gere, vel *sibi*, suisque *diurnis*, & *nocturnis scrutiniis* confidere, sed potius ad *pedes Præceptorum* sedere, ab *ore Theologorum* pendere, doctrinamque cœlestem ex *fideli sacrarum literarum traditione* haurire voluit. Hæc media *divinitus ordinata*, cœlestibus *promissionibus munita*, cœlestiq; *benedictioni*, per divinam *benevolentiam*, destinata, suos facillimos viderunt *progressus*, suos exoptatos acceperunt *profectus*, & felicissimos obtinuerunt *eventus*! Nam ita bene cultus in scholis Theologicis, ut *Auditor*, mox ad Exemplum Jesuli, *Luc.* II. factus est *interrogator*, & *Opponens*, *innumerisq; vicibus*, & *privatim*, & *publicè*, *Provinciam Opponendi* cum laude sustinuit. Sæpius etiam *B. Megalandri Cathedram* suis eruditis *responsionibus* in *Disputationibus* exornavit, & sub *meo Præsidio Disputationes ultra Decem* publicavit. Idem etiam sub reliquorum EXCELLENTISSIMORUM THEOLOGORUM MANUDUCTIONE, pro maximo *studiorum*, & *Exercitationum Theologicarum*, ardore lubens tentasset, nisi *res angusta domi*, quod semper dolebat, Eum ab instituto revocasset. Cum igitur & *auscultando*, & *Opponendo*, & *Respondendo*, per tot annos, abundantes *Theologicæ notitiæ divitias* sibi comparasset, has etiam *cum alijs* communicare, suasque dotes *Lectionibus*, & *Disputationibus* privatis adaugere constituit; ac ea de causa *modestis precibus*, atq; *literis*, à *Venerando Collegio Theologorũ*, *gratiam* hanc petiit, ut in *Lectorum Theologiæ privatorum* numerum reciperetur. Favere voluit ipsi *Sacer Ordo*; juxta leges igitur *Disputatione conscripta*, locoque *Speciminis* publicata, *gratiam istam* obtinuit. *Publica* proinde *potestate* sic ornatus, maxima cum industria *Theologiam*, modo *prælegendo*, modo *disputando*, modo *repetendo*, vel *examinando*, modo *sacrum studium ad Exercitia Homiletica convenienter applicando*, suis Auditoribus

ribus inculcavit. Nec *Præsidis* in Theologicis *Officium* ei denegatum, cum sæpius in *Congressibus*, & *Collegijs Alumnorum Electoralium* reliquis suis Commilitonibus cum laude *Præsidis partes* adimpleverit. In hoc *diligentiæ stadio, studioque*, dum fidelem præstaret operam, & piis *precibus*, quoad omnem vitam, atque fortunam, *divinam* imploraret *Providentiam*, *nutu* quodam *cælesti* factum, ut ILLUSTRISSIMUS HEROS, AC DOMINUS, DOMINUS OTTO LUDOVICUS, DYNASTA DE SCHÖNBURG, DOMINUS IN GLAUCHA ET WALDENBURG, TOPARCHA COMITATUS INFERIORIS HARTENSTEINENSIS, ET DYNASTIÆ LICHTENSTEINENSIS, DOMINUS MEUS GRATIOSISSIMUS, ad literas systaticas, Eum ad Concionē publicam primū admitteret, & ex Heroico Lutheranæ Orthodoxias amore, & *Gratiosissimo erga Cathedram B. MEGALANDRI favore, Militem*, & *Officialem* hunc *strenuum*, ex Eadem in PASTOREM WALDENBURGENSEM, ET ECCLESIARUM, IN DYNASTIIS WALDENBURGENSI, HARTENSTEINENSI, ET LICHTENSTEINENSI SUPERINTENDENTEM, ET CONSISTORII ASSESSOREM, in Domino *Gratiosissime* vocaret. Inprimis in hoc *Divinæ Providentiæ speculo* satis admirari non potuit MAGNIFICI, NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI DN. EHRENFRIED GEIERI, JCTI MERITISSIMI, CONSILIARII AULICI GRAVISSIMI, CONSISTORII DIRECTORIS LAUDATISSIMI FACILITATEM,

cujus

cujus *favorem, patrocinium & singularem affectum* gratis præconiis celebrat, & ipsum tanquam *Divinæ Providentiæ Dispensatorem, & Illustrissimæ Gratiæ Directorem* grata mente veneratur. Hac *Dignitate* condecoratus LICENTIAM, AD HONORES, IN THEOLOGIA SUPREMOS, CAPESSENDOS, modeste primum literis, mox etiam orali petitione, juxta receptam consuetudinẽ, à *Collegio Nostro* desideravit, ut *Officium splendidum*, sibi divinitus oblatum, eo *majori autoritate*, ac eo *majori cum fructu* per *divinam clementiam* administrare posset. DEUS *omnis Gratiæ* Fontes cœlestis *Benedictionis* largiter aperiat, *Pentecostalem Fluvium Aquarum Vivarum* in CANDIDATI NOSTRI *consilia, labores*, & omnes *Expeditiones*, abundanter effundat, *Donis præclaris* ipsum cœlitus instruat, moveat, & augeat, ut opus Domini, *Servi Fidelis* instar, fructuosè facere, *bonum Ecclesiæ* promovere *lupos*, & *vulpes*, à *Grege Domini* potenter repellere, *Cælestemq; Veritatem* custodire valeat! Hic etiam *Pater Misericordiarum* clementissimis oculis *Ecclesiam afflictam* respiciat, & *Fanaticis Somniatoribus*, ac *apertis Hostibus* obicem ponat, nos autem omnes in veritatis, & pietatis via paterne conservet! De Cœtero MAGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLUSTRISSIMOS DNN. BARONES, PATRES, & CIVES Universitatis, ea, qua par est, *observantia* rogamus, ut hanc *Panegyrin Theologicam Die Jovis Horæ IX. Matutina* sua præsentia honorifica cohonestare, & DN. CANDIDATI NOSTRI *solennes Expeditiones* promovere velint! DEUS NOSTER in *Omnibus his*, & *aliis*, sit Benedictus! *Witteb. Fer. III. Pentecost. Anno*

M DC XCIV.

Ung. VI 58. (1)

ULB Halle
3
002 686 287

Sb.

VD17
Sep. 2000 Pd.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0022-7

INE JESU!

A N U S

Æ FACULTATIS,

IN

RALI WITTEBERGENSI,

utschmann / D.

RIMARIUS, COL-

CI SENIOR, ET ACAD.

US, NEC NON ALUMN.

IUM EPHORUS,

TURIS

ET SINGULIS,

I CONSOLATIONEM,

ET

NON FANATICAM,

I POSSESSIONEM,

ITIONEM,

APPRECATUS,

PROGRAMMATE

OS

AD

AM PANEGYRIN

ER INVITAT!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-386673-p0023-3